DE

LIBRIS TERENTIANIS,

QUAE

AD RECENSIONEM CALLIOPIANAM REDEUNT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

TRADIDIT

GUILELMUS PRINZHORN

BURGDORFENSIS.

GOTTINGAE,

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

MDCCCLXXXV.

Ritschelius in indice scholarum Vratislavensium hibernarum a. 1838 recte statuit, Terentianorum codicum duo esse genera, antiquius alterum, alterum e Calliopiana recensione ductum: illius esse longe antiquissimum Bembinum, cui satis confidenter Victorianum, dubitanter Decurtatum jungit, huc pertinere ceteros, quotquot exstarent. Cuius judicii partem alteram veram esse, alteram restringendam nunc compertum habemus: postquam enim Franciscus Umpfenbach duos illos libros, qui diu in tenebris latuerant, recuperavit, Victorianum in Laurentiana, Decurtatum in Vaticana bibliotheca, ex antiquiore genere unum Bembinum ad nostram memoriam mansisse scimus; nam qui ei cognati videbantur, ipsi apertum Calliopianae recensionis signum prae se ferunt, grammatici illius subscriptionem.

Quamquam igitur constat praeter Bembinum omnes codices ad Calliopianam recensionem redire, tamen jam ex iis, quae diximus, elucet, diversam horum librorum rationem esse, quorum tres familias recte Umpfenbachius distinxit (in editione p. I sq.): una propius, altera longius a Bembino distat; tertia ex eis vario temperamento mixta est sic ut modo hanc modo illam sequatur. Huius familiae libros, in quibus „noviciorum librariorum hinc illinc diversorum codicum lectiones decerpentium et contaminantium libidinem agnoscimus“ (Umpf. p. LXIX) missos facientes, quae ratio inter duas illas Calliopianorum librorum familias intercedat, quaerere nobis proposuimus.

Ut fundamentum huius dissertationis ponamus, opus videtur, pauca de Calliopii opera praefari, quia nisi hac perspecta disceptari haud poterit, qui libri integriorem ejus recensionis formam tenuerint, qui deflexerint. Intelligi autem potest ratio Calliopianae recensionis comparatione inter libros,

qui ex hac manaverunt, et Bembinum instituta: cum enim constet librum a Calliopio tractatum atque Bembinum ex eodem fonte derivatos esse, in universum recte judicabimus, quas lectiones codices Calliopiani a Bembino discedentes exhibeant, eas in horum archetypum a correctore seu editore illo esse illatas: quamquam ab altera parte non opus est monere, Bembinum nonnunquam a communi archetypo aberrasse, ubi libri Colliopiani ejus scripturas servarunt (cfr. C. Sydow, de fide librorum Terentianorum ex Calliopii recensione ductorum, p. 46), ab altera, non omnes locos, quibus recensio Calliopiana a Bembino eademque a communi archetypo recedit, ab ipso Calliopio esse mutatos, sed bonam partem aut ante ejus operam aut post eam. Illud satis comprobatur locis, quibus Donatus in libris suis lectiones Calliopianorum librorum invenit, quem in commentario conscribendo jam huius recensionis exemplar secutum esse, Geppertus („Zur Geschichte der terentianischen Kritik" in Jahnii ann. 18, 28) et Leo (in dissertatione Musei Rhenani Vol. XXXVIII inserta, cui titulus est: „Die Ueberlieferungsgeschichte der terenzischen Komödien und der Commentar des Donatus") haud recte judicasse videntur. (cfr. p. 21 sqq.)

Ut nonnullos locos afferam, ubi quae libri Calliopiani praebent, genuina non esse collato Bembino apparet, hic tradit:

Ad. I, 2, 46: 'Mi: Natura tu illis pater es, consiliis ego. De: Tun consiliis quicquam?' (scil: pater es). Donatus legit: 'Tun consulis quicquam?', quae eadem in Calliopianis libris exstant.

Ad. II, 3, 9. A: 'Festivom caput,
Qui ignominias sibi post putarit esse prae meo commodo'.

Call. pro 'qui ignominias' tradunt 'quin (qui) omnia' adstipulante Donato. (Dziatzko hanc lectionem in editione Adelphorum p. 101 defendens mihi non persuasit).

Hec. I, 1, 7. A: 'Et moneo et hortor, ne cuiusquam misereas'.

Call. cum Don: 'misereat'.

Aliis locis Donatus utramque scripturam, et Bembini et Calliopianam, se legisse testatur. Velut Hec. II, 2, 4, ubi

A exhibet: 'Atque eccum Phidippum optime video: hinc jam scibo quid siet.' rell. libri pro 'hinc' tradunt 'ex hoc', quod sine dubio ab aliquo illatum est, qui 'hinc' non apte de persona dici putabat. Donatus hanc lectionem probans addit: legitur et 'hinc'.

Ad. IV, 3, 16 A praestat: (Propter suam impotentiam se semper credunt) 'claudier.' (scil. pauperes; Faernus conjecit 'calvier', Bentleius 'ludier'), quae vox etiamsi corrupta sit, satis tamen comprobat, ex interpretamento ortum esse 'negligi', quod rell. libri exhibent cum Don., qui adnotat: legitur et 'claudere'. —

Pho. I, 2, 21. A: 'Abeuntes ambo hic tum senes me filiis' . . . .

Call.: 'hinc'; Don: 'hinc' et 'hic' legitur.

Pho. III, 1, 5. A: 'nequid poteretur mali'.

Call. 'pateretur'. Don: legitur et 'poteretur'.

Donati testimoniis accedunt multa alia veterum scriptorum, e quibus vides jam proximis post poetae aetatem saeculis numerum haud parvum discrepantiarum exstitisse; neque mirum hoc est in fabulis, quae haud raro in scena agebantur.

Cum igitur comoediae Terentii multifariam jam mutatae essent, fortasse Probus grammaticus, qui 'multa exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curavit' recensionem fabularum instituit, ex qua etiam Bembinum et gemellum exemplar, quod Calliopius correxit, manasse, haud illud quidem certis indiciis constat, at suspicari cum aliqua veritatis specie licet: neque enim Bembinus genuinam Terentianorum fabularum formam praestat (depravatam illam quidem librariorum sordibus); sed profectus est ex recensione a viro docto instituta, quam ob rem rarissime in arte critica facienda ultra huius recensionis fidem progredi licet. Sed quamquam exemplaria, quae primis post Christum natum saeculis divulgata erant, haud parvo intervallo jam a pristina comoediarum specie aberant, tamen a sermone id aetatis usitato multo longius distabant, quam quae ab hominibus, qui Ciceronis et Vergilii libris delectari assueverant, commode legerentur. Ad hoc efficiendum nova recensione hominis litterati opus erat, qua sermo Terentianus sermoni illorum scriptorum quantum poterat accommodaretur. Id ne-

gotium suscepit Calliopius, grammaticus prorsum ignotus, quem parem ac Terentianis fabulis operam Plautinis navasse Ritschelius suspicatus est. „Is — ut in universum recte Umpfenbachius judicare videtur (p. LXVIII) — post Donatum antiquioris sermonis et metricarum legum cognitione jam vacillante, bonis exemplaribus non temere usus, abstersa nobili vetustatis robigine (et in dimetiendis versibus sibi sapiens) in elegantiorum lectorum usum editionem paravit". — Ut huius editionis indolem breviter adumbremus, in exordio disputationis eae tantum lectiones usui nobis sunt, de quibus manuscripti Calliopiani cum Bembino discrepantes inter se consentiunt: nam ubi inter ipsos illos libros de scriptura non convenit, quae fuerit archetypi conformatio, unoquoque loco eruendum est. Lectionum a Bembinis recedentium quominus longe plurimas Calliopio ipsi tribuamus, nihil nos prohibet: haud paucas jam ante eum ortas esse, supra memoravimus; de iis, quae post ejus recensendi operam in archetypum nostrorum Calliopianorum librorum venisse videntur, infra disseremus.

Ante omnia hoc curandum erat illi grammatico, ut intelligendi commoditati succurrens vetustatis robiginem tolleret, cujus bonam partem Bembinus tenaciter servavit. Sic pro obsoletis formis, quas A tenuit, usitatae exhibentur in manuscriptis Calliopianis, quorum archetypum Graeca littera Γ notamus:

				A	Γ
Eun.	IV,	5,	4	'formonsior'	'formosior'
Heaut.	II,	3,	119	'necessus'	'necesse'
	V,	1,	25	'isdem'	'idem'
Hec.	I,	2,	57	'coieci'	'conieci'
	IV,	4,	51	'prosus'	'prorsus'
Ad.	IV,	1,	15	'interdius'	'interdiu'
			18	'fervit'	'fervet'.

Multae mutationes ad grammaticam rationem spectant, ex quibus nonnullas afferre satis erit.

Heaut. II, 4, 21 A 'ingenium frui'
Γ 'ingenio frui'

Ad. IV, 1, 12 A 'in mentem est'
Γ — 'mente' —

Ad.	V, 3, 55	A	'cum primo luci'
		Γ	— 'prima luce' (P luci)
Pho.	III, 1, 9	A	'loquere quonam in loco sunt'
		Γ	— — — — — — — 'sint'
Ad.	III, 2, 11	A	'non intellego satis quae lo'quitur'
		Γ	— — — — — — — 'loquatur'
Andr.	V, 5, 7	A	'nemost quem mallem'
		Γ	— — — — 'malim'
Heaut.	V, 1, 22	A	'magis unum etiam instare, ut hodie conficiantur nuptiae'
		Γ	— — — 'conficerentur' (propter infinitivum historicum)
Ad.	V, 3, 51	A	— — 'ne tuae istae nos rationes et tuos iste animus subvertat'.
		Γ	— — — — — — 'subvertant'
Pho.	IV, 3, 65	A	'tu modo filium fac ut ducat'
		Γ	— — — 'filius' — — — —
Eun.	II, 1, 24	A	'mirum ni egomet turpiter hodie hic dabo'.
		Γ	— 'ego me'. — — —

Sed levia illa sunt prae iis locis, quibus Calliopius legentium commoditati prospiciens sententiam novavit, cuius rei ex multis exemplis haec graviora affero: Heaut. IV, 5, 22, ubi Syrus servus Chremeti seni exponens, quam fallaciam in Menedemum intenderit, ob astutiam a sene laudatur, scripta sunt haec in A: 'Ch: Probe Sy: dic sodes. Ch. nimium inquam. Sy: immo si scias . . .' (Intelligendum est: quae praeterea mihi in mentem venerint, magis me laudes. cfr. ej. fab. III, 3, 38 'Sy: Pessuma haec est meretrix. Ch. ita videtur. Sy: Immo si scias . . .', ubi Wagnerus in ed. Heaut. explicat: immo multo magis id dicas, si scias, quod nunc inceptat facinus.) Calliopius offensuros esse lectores in illo versu putans pro verbis: 'si scias' dedit: 'sic satis' (nam librario hanc mutationem vix tribuerim), hoc est: non nimia illa laude digna sunt („mediocriter“ Bentlejus explicat), quae excogitavi, sic ut Syrus modestiam simulans reapse astutiam ostentet, qua multo callidiora possit machinari. Quae lectio quamquam nec a sensu nec a versu abhorret, tamen lectioni Bembini non praeferenda esse videtur. Nam quod Bentlejus

putat, in hoc libro ex versu IV, 5, 16 ('at si scias, quam scite in mentem venerit') illa verba in alterum versum illata esse, non recte judicavit mea sententia: immo quia ibi Syrus Chremeti dixit: 'at si scias, quam scite in mentem venerit', postquam partem demum fallaciarum exposuit, optime repetit: 'at si scias' . . . . scil. quae praeterea finxerim.

Satis scite Calliopius mutavit Hec. III, 1, 40, ubi Pamphilus ex itinere rediens cum Parmenone de ira, quae intercesserat inter matrem et uxorem, loquitur; suspicans servum causam inimicitiarum novisse sic dicit (vs. 40):

A 'Nescio quod magnum malum prospecto: Parmeno, me celas'.

Calliopius sive propter rariorem vocis 'prospecto' usum (quae alio loco Terentianarum fabularum non exstat) sive rem, de qua Pamphilus se celari dicit, in elocutione desiderans, pro 'prospecto' dedit 'profecto', utrumque illud, in quo ne offensuri essent lectores timebat, tollens. Sine dubio illa scriptura Calliopiana nemini suspicionem moveret Bembino non collato.

His duobus versibus adjungo tertium graviter mutatum, ubi rursus Bentlejus, magnus Terentii sospitator, Calliopianorum manuscriptorum scripturam defendit; quam nisi in libris suis habuisset, ipse fortasse conjecisset. Ad. III, 3, ubi Syrus ante aedes Micionis Demeam ludens conservis domi cenam parantibus praecepta dat, A haec exhibet: (vs. 23 sqq.)

'Gongrum istum maximum in aqua sinito ludere
Tantisper: ubi ego rediero, exossabitur:
Prius nolo'. . . .

Call. libri pro 'tantisper' — 'paulisper' et pro 'rediero' — 'venero' exhibent. (G 'revenero', versum pessumdans fortuito de sententia Bembino adstipulans.). Hoc verbum Bentlejus recepit (probante Sydow p. 60), quia Syrus non abiturus se rediturum esse dicere non posset: at nihil in nexu rerum obstat, ne eum cum Demea loquentem paullum abisse putemus [1]). Sed etiamsi hac in re cum Calliopio facere velis, sine dubio recte se habet in Bembino illud 'tan-

---

1) Praeterea Dzatzko in editione Adelphorum ad hunc locum adnotat 'redire' omnino significare 'domum venire'.

tisper'; nam quod Bentl. contra Faernum contendit, eam vocem absolute poni non posse, id in hunc locum non quadrat, quia non absolute posita est: intelligendum est enim: dum ego rediero (aut venero). Hoc denique nemo non concedet, vix ullam causam posse cogitari, cur aliquis pro Calliopiana scriptura eam intulerit, quae in A tradita est.

Ut his locis gravioribus, sic iis quoque fides habenda est Bembino, ubi in Γ novae voculae accedunt ad sententiam illustrandam aptae nec tamen necessariae. Quamquam enim Bembinus interdum peccat verba omittens, tamen, ubi et ipse sensui et versui satisfacit, ibi additas in Call. mss. voces esse judicamus. Sic saepe asyndeta sublata sunt particulis conjunctivis additis: Heaut. V, 1, 73; 74; Pho. II, 1, 6; V, 8, 89; V, 9, 61. — cfr. Pho. V, 9, 6: A 'quid ergo? quid istic'?
Γ 'quid ergost quod istic'?

Copula inserta est: Heaut. II, 3, 102; V, 2, 1; 47. — 'jam': Eun. III, 1, 32; Heaut. I, 1, 46; II, 1, 2; Pho. IV, 3, 45. 'nam': Heaut. V, 1, 5; Pho. I, 4, 6. Pronomina addita sunt: 'id': Heaut. prol. 19; Pho. V, 3, 35; 8, 58; 'hoc' Heaut. II, 3, 86; Hec. V, 1, 36; Pho. V, 3, 27; — 'hanc': Eun. V, 5, 21. — 'eam': Hec. III, 3, 33. —

Cum in his scripturae discrepantiis consilium cognoscere liceat succurrendi legentium commoditati, magnus versuum numerus exstat, ubi causam mutandi non intelligimus. Nimirum Calliopius in recensendi opera studio novandi raptus est, ita ut longius a Bembino distare ejus recensio videatur, quam ille a pristina fabularum forma. Similem recensionem aliorum scriptorum libri passi sunt: cuius rei e nostris litteris exemplum praebent cantus ecclesiastici aetate Lutheri compositi, qui hodie partim ita ad libidinem mutati feruntur, ut saepe vix eosdem esse cognoscas. Elucet ejusmodi locis, ubi et Bembini et Calliopii scriptura per se ipsa aeque bene legi potest, neque cur correxerit ille grammaticus apparet, Bembini auctoritatem sequamur necesse esse propter id ipsum, quod alterius recensionis verba a viro litterarum studio dedito conformata esse scimus. Ut unum harum discrepantiarum genus perlustremus, ex sermone Terentiano aut sententiarum nexu quis dijudicare potest, utra horum synonymorum genuina sint?

		A	Γ
Eun.	V, 3, 7	'probe'	'bene'
Heaut.	II, 3, 25	'conjecturam fecimus..'	'conj. cepimus'
	IV, 5, 38	'suaseras'	'jusseras'
	8, 5	'dic quid vis'	'cedo quid vis'
	10	'narras'	'dixti'
Pho.	III, 1, 13	'senem'	'patrem'
	IV, 5, 14	'convenit'	'congruit' (congruet)
	V, 3, 20	'vide ne'	'cave ne'
	V, 9, 13	'dices'	'narras'
Ad.	II, 2, 40	'acta'	'facta'
cfr. Pho.	I, 2, 67	'faceret'	'ageret'
Ad.	IV, 2, 30	'inveniam'	'quaeram'
	5, 6	'dicere'	'credere'
	V, 5, 1	'orat'	'rogat'.

Sed longum est plura de hac re exponere, cum nobis propositum non sit, denuo cumulatis exemplis de fide illius codicis cum hac recensione comparati disserere. (cfr. Sydow l. d.) Id potius comprobare voluimus, Calliopium linguae latinae et metricarum rerum minime imperitum fuisse. Nam scripturae longe plurimae, quibus libri Calliopiani inter se consentientes a Bembino discedunt, non modo in sententiam sed aeque bene in versum quadrant. Neque desunt loci, quibus recensendi opera ad versus corrigendos pertinuisse videtur: sic mutatum est, ne syllabae longae essent corripiendae:

Eun. II, 1, 15 A: 'ắbĭ nil dicis' (post abi Bemb. ṠIS exhibet, quod ex interpolatione ortum videtur)
Γ 'áh nil dicis'

III, 3, 5 A 'rŏgĕt quís, quid rei tibi cum' . .
Γ 'rogét quis, quid tibi cum' . .

Heaut. II, 3, 18 A 'mĭnŭs sum óbsequens'
Γ 'mĭnŭs óbsequens'.

Heaut. IV, 8, 7 A 'quĭd ĕst jámne'
Γ 'quid jámne'

Hec. IV, 4, 2 A 'quĭdĕm nam hércle factumst abs te' . . .
Γ 'quidém nam hercle abs te est factum' . . .

Eodem consilio Eun. IV, 1, 4 et V, 4, 24 pro 'illum' — 'eum', Heaut. IV, 1, 42 pro 'illa' — 'ea' posita esse videntur.

Ne monosyllaba verba, quae in vocalem longam aut in m exeunt, non coalescerent cum sequenti vocali, Call. Eun. III, 5, 24 pro 'eo' 'illo', Hec. IV, 1, 53 pro 'irato' — 'iracundo' dedit, Pho. V, 3, 25 'homo' interpolavit.

Haud raro hiatus sublatus est: cfr. Eun. IV, 6, 5; Hec. IV, 1, 46; Ad. II, 1, 14; IV, 5, 63. —

Videmus, Calliopium metricarum legum et artis Terentianae non imperitum fuisse, etsi non tam accuratam earum cognitionem habuit, quam nos opera Bentleji Ritschelii aliorum adepti sumus. Nam ut haud paucas mendas, quae versus pessumdant, incorrectas reliquit, sic nonnunquam in corrigendo ipse versibus vulnera inflixisse videtur, ut Ad. IV, 7, 26: 'aliquo abiciunda est, si non pretio, gratiis'.

Call. in exemplari suo idem vitium inveniens, quod in Bembino exstat, 'gratis' pro 'gratiis', neque sciens trisyllabam hanc vocem esse, versus gratia 'vel' inseruit, justum quidem numerum pedum constituens sed id peccans, ut in ultimo pede senarii spondeum poneret.

Pho. V, 1, 27, ubi A recte exhibet:

'Quid? duasne uxores habet? — Au obsecro unam ille quidem hanc solam'. Call. ante 'uxores' 'is' addidisse videtur, quia putabat 'au obs.' synaloephe coalescere. Similem in modum Ad. IV, 5, 15 'neque enim diu huc migrarunt' (sic A), 'commigrarunt' dedit.

Quamquam igitur non nego, Calliopium hic illic, quod ad metrum attinet, peccasse, tamen (ut nonnullas quae versui satisfaciunt) omnes fere scripturas, quae versum pessumdant, non a Calliopio profectas sed post eum invectas esse eodem jure contendo, quo in ipsius poetae versibus constituendis falsa a veris secludimus. Ut praetereamus librariorum negligentiam, magna clades illata est operae Calliopianae interpolationibus, quibus jam archetypus (Γ) nostrorum librorum Calliopianorum erat depravatus. Neque hoc mirum est in multis ellipsibus, quae apud Terentium exstant, praesertim si respicis, libros Calliopianos fere omnes scholiis trivialibus refertos esse, e quibus facillime hoc illud in poetae verba

poterat irrepere. Nonnulla huius generis exempla sufficiant: nam quis persuadere sibi potest, eundem Calliopium, qui metricarum legum peritum se fuisse, tot versibus apte mutatis comprobaverit, his interpolationibus miserum in modum versus depravasse?

Eun. II, 2, 26 Concurrunt laeti mi obviam fartores piscatores [aucupes.]'

(Fortasse ex Hor. Sat. II, 3, 227: 'Edicit, *piscator* uti, pomarius, *auceps*, Unguentarius ac Tusci turba impia vici, Cum scurris *fartor*, cum Velabro omne macellum Mane domum veniant'.)

Eun. II, 3, 8 'Hic vero est, qui si occeperit [amare]'
98 'Jubeam? [Immo] cogo atque impero'.
III, 2, 10 'Bene [pol] fecisti'
4, 7 '[sed] quisnam hinc.'.
IV, 5, 12 'sed eccam ipsam [video]'
Heaut. V, 1, 1 'id [certo] scio'
4, 15 'ego quod potero [enitar] sedulo'.
Pho. II, 2, 21 'mea [quidem] sententia'.
III, 3, 26 'o lepidum [caput]'
Hec. III, 1, 39 'Pam. Nullus sum. Par. Qui dum? Pam. [Quia] perii'.
Ad. IV, 5, 66 'Quid? jam[ne] uxorem [ducam]?'
7, 15 'Quid facias [rogitas]?'
V, 7, 2 'in apparando [totum] consumunt diem'.

Videmus haud parvo jam intervallo id exemplar (Γ), ex quo nostri Calliopiani manuscripti fluxerunt, ab integritate recensionis Calliopianae afuisse. Hi libri, ut jam supra diximus, in duas classes discedunt, quarum altera propius, altera longius a Bembino distat; huius sunt Parisinus (P), Vaticanus (C) ejusque apographon B (Basilicanus), Ambrosianus (F), qui nonnullis in partibus ad alteram classem deflectit, ad quam pertinent Victorianus (D), Decurtatus (G), fragmentum Vindobonense (V). De illius classis libris, quorum archetypum littera Π notamus, satis exposuit Umpfenbach p. XXIV sqq.; nobis hoc loco pauca dicenda sunt de codd. Victoriano et Decurtato, ut fragmentum Vindobonense negligamus. Codices DG, quos ex eodem manuscripto descriptos esse, certis indiciis efficitur, saepissime, praecipue D,

duplices lectiones exhibent, alteram in contextu, alteram superscriptam, quarum pars multo major sine dubio ad archetypon Δ redit. Cum autem librarii, qui illos libros exaraverunt, (vide Umpfb. p. XVIII sqq.) in eligendis archetypi lectionibus minime constantes sibi fuerint, ex externa, ut ita dicam, librorum specie non apparet, utra unoquoque loco in archetypo a prima manu scripta, utra a correctore addita fuerit, sic ut et eae scripturae, quae in utroque vel alterutro codice in contextu exhibentur, et eae, quae in utroque vel alterutro superscriptae sunt, primam archetypi manum praestare possint. Atque quia DG ex eodem archetypo orti sunt ac PCBF, quaerendum erit in scripturae discrepantiis, utra classis id secuta sit, utra deflexerit.

Umpfenbachius, cui primo de hac re judicare licuit, recensionem Calliopianam in libris ex Π derivatis fere integram servatam esse putat, in Victoriano autem et Decurtato refictam ex commento Aelii Donati tam constanter, ut recensionibus Bembini et integrae Calliopianae tertiae familiae instar addere possimus correctam e Donato (p. I sq.). Accuratius sententiam de indole codd. DG expressit p. LXIX, dicens eorum exemplar sic ortum esse, ut doctus aliquis grammaticus, qui et Servii commentum Vergilianum et Priscianum adhibuerit, Donati commentum, excerptum et transscriptum in librum ex eadem, ad quam Bembinus pertineat, familia oriundum, legerit atque ex eo, quae ipsi placuerint, in exemplar Calliopianae recensionis (classis Π) transtulerit. Quamquam igitur e variis fontibus fluxisse concedit Umpfenbach, quae DG ab „integrioribus" libris Calliopianis discrepantia exhibent, tamen longe largissimum eorum Donati commentum fuisse ita sibi persuasit, ut non modo illorum librorum proprietatem universam inde repetendam esse ducat, sed ut ex scripturis eorum Donatianas lectiones elici posse speret. (cfr. Philol. XXXII, 442).

Assensus est Umphenbachio Conradus Sydow (l. d. p. 1 sq.) accuratius in eam rem non inquirens. (l. d. p. 3).

Contrariam sententiam pronuntiavit Fridericus Leo (l. d.): inde enim, quod Donatus in ordine fabularum (Andr., Ad., Eun., Phorm., Heaut., Hec.) cum DG consentit contra PCBF (in quibus fabulae sic se excipiunt: Andr., Eun., Heaut., Ad.,

Hec., Phorm.) concludens, grammaticum illum in conscribendo commentario exemplar Calliopianum ad familiam DG pertinens secutum esse, statuit, hanc familiam integriorem Calliopianae recensionis formam praestare, PCBF archetypum denuo esse retractatum. Quod quidem Umpfenbachius concentum illum ita explicat, ut in DG ordinem fabularum ad Donati commentum mutatum esse dicat, me judice erravit [1]). Nam primum consensu codd. D et G comprobari videtur, in eorum archetypo Δ jam eundem ordinem fuisse, cum minime verisimile sit hunc librum etiam hac in re cum „integrioribus" mss. Call. recensionis conspirasse, correctorem autem aliquo modo significasse, fabulas esse transponendas. Equidem persuadere mihi non possum, tum et D et G codd. librarios signa correctoris — nam alio modo vix, quid vellet, ostendere poterat — tam accurate per omnes fabulas observaturos fuisse. Ab altera parte nil obstat, quin ordinem codicum DG, qui ad litterarum seriem factus esse videtur (ab aliquo qui Formio scripsit, cfr. Leo p. 319) jam Donati aetate divulgatum etiam in Calliopii exemplari fuisse atque ab eo receptum esse putemus. Quoquomodo res se habet, de indole exemplaris Donatiani aut de ratione inter duas recensionis Calliopianae classes intercedente nihil certi inde sequitur.

Praeterea magni momenti Leo esse putat (l. d. p. 334) litteras rubras Graecas, quibus in D aeque atque in A personae distingui solent. At hac in re D longe frequentius ab A dissentit, quam ei adstipulatur, ut Umpfenbach (p. XXI) non ausit pro certo affirmare „grammatici alicujus positione notas illas invectas esse"; sed licet illae notae in Γ fuerint, in Π autem (librorum PCBF archetypo) omissae sint, tamen ex ea

---

1) Ad idem genus pertinet, quod dubitanter Umpfenbachius suspicatur, in DG didascalias prologis propterea postpositas esse, quia Donati exemplaria primum prologi versum lemmatis instar praefationibus praemittant (p. LXXIX). Miram sane stupiditatem „docti illius grammatici", qui codicem Δ correxit, agnosceremus putantes eum illa re inductum esse, ut ordinem, quem ipse Donatus secutus est didascaliam ante prologum enarrans, restituere studens reapse inverteret. Cur praeterea non argumenta quoque post prologos posuit ob eandem causam, sed suo loco reliquit?

re de integritate ipsarum fabularum non maiore jure concluditur, quam inde, quod in classe Π (excepto B) versus distincti sunt, in Δ versuum discriptio fere nusquam servata est.

Omnino cum ex externa codicum specie, quod propositum est, disceptari non possit, scripturae singulae inter se comparandae sunt, quam rem ita instituemus, ut primum quaeramus, num Umpfenbach de ratione codd. DG recte judicaverit. —

Praemonendum est, similitudinem, quae inter A et DG intercedit, non sic posse explicari, ut hos, ubicumque cum A conspirant contra ceteros, e Donati commento mutatos esse ponamus, quod ipsum cum Bembino congruerit: nam cum iis locis, ad quos hodie scholia Donatiana desunt, dicere aliquis possit, ea fortasse tum, cum Δ correctus sit, exstitisse, luculenter, quod volumus, iis locis comprobatur, ubi DG cum A consentientibus Donatus lectionem ceterorum librorum testatur aut solus stat.

Cfr. Hec. IV, 3, 2: 'Istuc est sapere, qui ubicumque opus sit, animum possit flectere'. (sic AD; G deficit.). —

Π exhibet 'possis' cum Don. i. l., quem vere hoc legisse docent ejus verba: 'qui' interdum abundat.

Hec. V, 1, 20 A 'dum tibi tempus consulendi est'.
D 'dum tibi' . . . . . (G deficit).
Π 'tibi' omisit cum Don., qui adnotat: bis subaudiendum est 'tibi'. —

Ad. III, 4, 62 A 'utinam hic sit modo defunctum'.
DG 'hic', corr. D^2G^2
Π 'hoc' c. Don: 'hoc', id est 'negotium'. —

Eun. V, 8, 63. ADGE (B, qui in hac fabula de Victor. descriptus est.): 'Dixin ego in hoc esse vobis Atticam elegantiam?'

PCF 'eloquentiam'.

Don: 'Atticam eloquentiam', quia excultior eloquentia dicitur Attica.

Propterea quaerentibus nobis, quae e Donato in DG illata sint, rectum videtur, eos tantum locos conferre, ubi DG Donato assentiente contra A et ceteros stant: nam si om-

nino eorum archetypum ita correctum est, ut Umpfenbach vult, equidem non video, cur scripturas, in quibus cum A consentiunt adstipulante Donato, non ex illo libro potius (Bembini gemello), cui signum α dare volumus, quam ex huius commentario sumptas esse putemus, idque eo magis, quia iis locis causa non erat lectionum Donatianarum in α transscribendarum. Quae cum ita sint, praeter Heautontimorumenon (cuius commentarius Donatianus temporum iniquitate periit) missam facimus etiam primam poetae fabulam, quippe ex qua in Bembino fere nihil servatum sit.

Perlustraturi iam lectiones, quas DG soli dant, primum de iis disseremus, ubi ex Donati scholio apparet, quid is legerit; tum eas conferemus, ubi lemmatum testimonia accedunt.

Ut omittam, quae scholiasta D (is est alter librarius) e Donato nonnunquam affert (ł scdm. d., id est: lege secundum Donatum, cfr. Umpfb. p. XX), hic illic DG (vel alteruter) ex scholiis Donati interpolati esse videntur.

Ad. IV, 4, 23 AΠ: 'nunc porro, Aeschine, expergiscere'.
DG 'nunc jam porro'.

Don: legitur et 'jam'. Potest sane hoc 'jam' e Donato in Δ irrepsisse neque tamen minus potest ex alio manuscripto translatum aut ex ipsius librarii ingenio additum esse. —

E commentario fortasse in D invasit interpretamentum ab altero librario subpunctum: Hec. IV, 1, 2: 'nam audivisse vocem pueri visus est vagientis'.

D 'infantis vagientis'. Don: proprie dicit 'vagientis' et infantium est. Sed multo probabilius mihi videtur, librarium D hoc interpretamentum e scholiis trivialibus sumpsisse, quae ut DG et omnes fere libri Call. exhibent, etiam archetypum codd. DG sine dubio exhibuit, quorum bona pars e Donato fluxit.

Nihil demonstrant hi loci, quibus additamenta aeque bene e scholiis trivialibus sumpta aut e librariorum ingeniis orta esse possunt.

Eun. IV, 7, 17 'facerent fugam', DG 'ut facerent' (D ut). Don: deest rursus 'ut' cfr. Ad. IV, 1, 16, ubi D solus 'ut' interpolat.

Pho. I, 4, 19. 'Cedo quid portas obsecro atque id si potes verbo expedi', DG 'uno verbo'.

Don: deest 'uno' (quod etiam P² in fine versus addidit.) cfr. Hec. V, 2, 29, ubi D vocem 'una' interpolavit. — Ut fieri solet, usitata conformatio pro rariore posita est. cfr.

Andr. I, 5, 65: 'verbum unum cave de nuptiis'.

Andr. IV, 4, 13; Eun. I, 2, 98; Ad. I, 2, 55. —

Pho. III, 2, 40: 'Jam ea praeteriit'? D 'jamne'.

Don: Interrogative pronuntiandum (ed. prima falso 'jamne').

Ad. IV, 1, 21. 'gaudio', GE 'p̄. gaudio'. Don: deest 'prae'. — cfr. Pho. V, 6, 30 'gaudio', D 's. p̄. ex gaudio', add. schol.

Ad. IV, 2, 11 'etiam taces?', G 'tace'. Don: 'etiam taces', antique pro 'tace'.

Nihil miri in se habet, quod nonnunquam in libris ea ipsa interpolata sunt, quae Donatus deesse dicit. Quam facile talis concentus casu exsistere possit, videas ex Eun. I, 2, 99:

'Ego non ex animo misera dico? quam joco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?',

(sic etiam Donatus.) G superscripsit '(magis) quam joco', et schol. A adnotavit: deest 'magis'. —

Ceterum jam in arch. codd. Call. interpolationes exstant, quae e Donato sumptae esse possunt.

Eun. IV, 2, 4 A 'dum haec puto'.
Γ — — — 'reputo' (F 'ṛẹputo')
Don: 'puto' ἀφείρεσις pro 'reputo'.
V, 4, 35 A 'nunc minatur porro sese id quod moechis solet'.
Γ 'id facturum'.
Don: deest 'facturum'.

Ad. I, 1, 52 A 'nescire'
Γ 'se nescire'.
Don: deest 'se'.

Eun. V, 2, 22 A 'Th.: Abin hinc, insana? Py. Quid ita vero? debeam,
Credo, isti quicquam furcifero, si id fecerim'.

Call. falsissimo 'abeam' (pro 'debeam') tradunt, quod interpretationis causa fortasse e Donato additum erat. Don:

'abeam' subauditur. (Nescio an in D, qui priorem a in rasura habet, vera Terentii et Calliopii lectio servata fuerit, tum autem ex alio libro Call. depravata sit.). Neque ei libri Call., quos integriores esse existimat Umpfenbach, carent interpolationibus, quas e Donati scholiis repetere possis.

Pho. II, 3, 4. AD[1]CB: 'pro deum immortalium', D[2]GEFP[2] addunt 'fidem'. Don: ἐλλειψις; deest 'fidem'.

Hec. prol. II, 15 A 'ab studio atque ab labore atque arte musica'

Don: 'ab' in tertio commode subaudiendum est.

Π 'atque ab arte musica', unde D[2] quoque 'ab' sumpsisse et supra lineolam addidisse videtur. (G defic.)

Idem factum est

Hec. V, 2, 13: A 'Nam si compererit crimini tua se uxor credidisse'.

Don: 1) Crimen proprie dicitur id quod falsum est. 2) Crimen nunc pro falsa suspicione.

Π 'tua se uxor falso credidisse'

se falso

D 'tua: uxor: credidisse'.

His praemissis ut recenseamus locos, quibus DG vel alteruter cum Donato sociati a cett. codd. consensu recedunt, raro soli vera servarunt. Quae res duplici modo explicari potest: aut eadem vitia ex communi archetypo in A et Calliopii exemplar (indeque in Γ) invecta, in Δ correcta sunt, aut Δ scripturas archetypi Γ servavit, Π autem et A fortuito in easdem mendas aberraverunt.

Nullius momenti est, quod Hec. II, 2, 9 G solus recte 'amisti' dat cum Donato: 'amisti' pro 'amisisti' συγκοπή. Rell: 'amisisti'. Nam vix quisquam in G formam illam e Donato esse correctam contendet, cum saepissime tales formae (plenae et contractae) inter se permutentur, facillimeque A et Π in idem vitium incidere nec non G casu rectam formam restituere potuerint. cfr. Heaut. II, 3, 129, ubi AG falso 'nosti', Ad. IV, 3, 13, ubi G solus recte 'dixisti' praebet.

Non nego, fortasse e Donato correctos esse DG (vel al-

terutrum) his locis: Eun. V, 8, 32 DG(B) 'conspicor' cum Donato.

AΠ 'conspicio'.

Hec. III, 2, 14 APCFE (B?): 'nam si remittent quippiam
Philumenam dolores'
D (G defic.) in contextu 'Philumenę', exhibet (ā superscr.).
Don: Verbum activum quasi neutrum posuit.

Hec. IV, 4, 3 praeter D omnes (G defic.) 'quae' interpolarunt: 'Etsi tibi causa est de hac re: mater, quae te impulit'.

Don: absolute, deest enim 'nam'. Solus D^1 interpolatione caret etiam Hec. V, 1, 20 (G defic.): 'Quaere alium tibi firmiorem', ubi A ante, ΠD^2 post vocem 'firmiorem' inserunt 'amicum'. Donatum cum D consensisse ex scholio licet concludere: firmiorem: amicum. (sic. edd. pr. et Ven.)

Sed rectius judicabimus, codicem D his locis (et G Eun. V, 8, 32) archetypum Γ esse secutum, A autem et Π, per se quemque, peccasse; nam quam facile uterque librarius in easdem mutationes incidere potuerit, nemo non videt. Praeterea Hec. IV, 4, 3 et V, 1, 20 versus interpretamentis illis tam misere pessumdantur, ut a Calliopii opera plane abhorreant, quamquam opponi nobis potest, quod ipsi supra commemoravimus, Calliopium nonnunquam versus depravatos non correxisse. —

Subjungo locum, qui est Pho. II, 3, 30, ubi dubitari haud potest, quin Π ab archetypo aberraverit. Legitur in

A: . . . . 'Ge. Absenti tibi
Te indignas seque dignas contumelias
Numquam cessavit dicere hodie. De: desine'.

PCB: 'hodie' om.

D: 'E. hoe jā desine'. (E est nota Demeae.)

G: 'De: ho eiā desine' ('hoe' ex 'hodie').

ohe jam
E: 'De: desine', corr. E^2.

eho iā
F: 'De: desine', corr. F^2.

Don. codd. DG adstipulatur: 'ohe' interjectio est satietatem usque ad fastidium designans. —

Nihil est, cur versum claudicantem, quem PCBF^{1}E^1 tradunt, a Calliopio profectum esse putemus: neque id concedimus, hos libros archetypi Π scripturam reddere. Nam cum in DG non modo Donati lectio tradita sit, sed in G etiam vestigium ejus lectionis, quam A praestat, si jam in archetypo Γ vox illa omissa fuisset, statuendum esset, eodem loco in Δ et Donati et libri α lectiones a correctore adscriptas esse, cuius rei aliud exemplum non reperi. Propterea in libro Δ (et in archet. Γ) aut Bembini lectio ‘hodie’ aut Donati ‘ohe jam’ a prima manu scripta, altera autem a correctore invecta esse videtur. Utra superscripta fuerit, pro certo explorari non potest (cfr. p. 13); suspicari tamen licet, ‘hoe jam’ in Δ a prima manu fuisse exaratum, ‘hodie’ a correctore additum; quamquam enim hoc in Π facilius intercidere poterat, quam duae voces ‘ohe jam’ (vel ‘hoe jam’), tamen in illam sententiam inductus sum, quia interjectio ‘ohe jam’ et in D et in G recte Demeae tribuitur, librarius G autem ‘hodie’ falso Demeae dederat. In D denique ‘ohe’ lineola subductum est, quia in alio apographo Call. omissum erat. (cfr. Umpfb. p. XX); F (E) ex libro familiae DG correctus est.

Quos enumeravi locos, gravissimi sunt eorum, quibus Umpfenbachii sententia comprobari potest. Leviores sunt ei, quos subjungam, quia facile Donati scholia mutari potuerunt (vide quae infra de lemmatum fide disseram).

Eun. prol. 44. AΠ: ‘animum attendite’. (ł adv̄tite C in marg.)

DG ‘animadvertite’.

Don: Nos ἐλλειπτικῶς dicimus ‘advertite’ (‘attendite’ ed. pr.), quod veteres plene ‘animum advertite’. Quid Don. legerit, non certum est, quia ‘attendere’ quoque ἐλλειπτικῶς et plene usurpatur.

Eun. V, 2, 42. AΠ ‘neque ita imperita’.

ita
D — — ‘ṭạṃ’, corr. D^2

cum Donato, qui in schol. affert: neque tam pudica sum. Facillime D ex ipsius librarii arbitrio mutari potuit. cfr.

ita
Heaut. V, 1, 1 G ‘tā,’ D ‘ṭạ’ corr. D^2 cum rell.

III, 1, 22 DG ‘ita’; rell. ‘sic’ (cum D^2)

Heaut. III, 1, 54 DG 'ita', rell. 'sic'.

Pho. I, 1, 10 AП 'defrudans'.

DGF 'defraudans' (G corr. ex 'defrauda$\overset{n}{\text{ris}}$'), quod Don. ed. pr. in scholio habet.

cfr. Ad. II, 2, 38 Don: 'defraudat', A 'defraudat', 'a' ind. corr. rec; DEG 'defrudat'; rell. 'defrudet', F 'au' superscripsit.

Ad. V, 1, 7 AП 'fundis'.
D'G 'fundes'.

Don: 'fundes': proferes ac perdes.

Venio ad eas codd. DG scripturas, quibus lemmatum Donatianorum testimonia accedunt. Hic praemonendum est, ut scholia miserum in modum depravata sint, ita lemmatis, qualia tradita sint, fidem esse habendam omnino nullam, cum editores ea non ex bonis libris sumpserint, sed ex suis quisque editionibus constituerint. Inde evenit, ut ex ingenti lemmatum multitudine tam pauca Bembino adstipulentur aut proprias scripturas praestent, quamquam vix dubium est, quin Don. libris Bembino haud inferioribus usus sit.

Cum enim postea ubique codices Calliopianae recensionis divulgati essent, ad horum exemplum lemmata longe plurima conformata sunt, ita ut in universum ad integritatem commentarii, qualis a Donato conscriptus est, propius accessuri simus, si haec lemmata ex Bembini scripturis corrigeremus. Luculentissime, quam corrupta sint lemmata, inde apparet, quod saepe aliam scripturam praestant atque Donatum legisse ex scholiis intelligitur. Ut pauca huius generis exempla afferamus,

Andr. I, 3, 21, ubi lemma cum mss. conspirat: 'at ego hinc me ad forum', e Donati verbis: Vultuose hoc pronuntiatur, ut desit 'pergam' aut 'ducam me' elucet, eum 'me' in textu suo non legisse. —

Andr. III, 2, 52: 'atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam'.

Sic lemma; at ex scholio: Continuo mutavit declinationem 'jubeo Chremetem' (ab his verbis incipit scena sequens) vides, Donatum legisse 'eccum ipsum Chremem'.

Pho. V, 6, 37. A 'Atque ego quoque inaudivi illam fabulam'.

Quamquam Donatum eadem legisse, versu comprobatur e Plauti milite glorioso collato: 'Nam os columnatum poetae esse inaudivi barbaro.', tamen lemma cum libris Call. dat: 'atque hercle ego quoque illam audivi fabulam'.

cfr. Pho. V, 8, 30; 9, 39; Hec. prol. II, 13; 15; III, 1, 26; Ad. prol. 16; II, 2, 38; 40; V, 3, 5; 8, 23.

Cum igitur id compertum habeamus, lemmatum plurima ad libros Terentianos Calliopianae recensionis esse constituta, quid est, cur non censeamus, ubi lemmata cum codd. DG vel alterutro conspirant, ibi illa ex his, non hos ex illis mutatos esse? Id etiam magis verisimile est, quia vix ea aetate, qua DG exarati sunt, commentarius ita jam depravatus fuit, ut hodie exstat. Nam unde credis multas illas corruptas lectiones, quas jam in Donati libris fuisse et ab eo receptas esse nemo putabit, in commentarium irrepsisse? Sine dubio opinor ex libris: nam in his, non in commento causa erat, cur librarii poetae verba suis argutiis ornarent. Propterea apertae mendae, in quibus lemmata cum DG conspirant, ex codice ad hanc classem pertinente in commentarium migrasse videntur, non ex hoc in illorum archetypum. Nam quae est origo ejus scholiorum farraginis, quae viri clarissimi nomen prae se fert, nihil est, cur non ut classis Π ita etiam classis Δ scripturas eo invasisse putemus, praesertim cum familiae promiscue illas sequentis exemplaria satis divulgata fuerint. (cfr. Umpf. p. LXIX.)

Ne tamen negandi cupidior videar, non nego fortasse hic illic e Donato mutatos DG (vel Δ) esse, praecipue ubi eorum scripturae metro conveniunt. (Nam metrica arte correctorem Δ caruisse ex misera conditione versuum in DG intelligitur.) Talia sunt:

Pho. I, 2, 48:	AΠ	'cognatus'.
	DG	'vicinus' cum Don. quater i. l.
Eun. V, 8, 26	D^1(B)GF^2	'collibitum est' pro 'collibuit'.
Ad. III, 3, 89:	AΠG	'haud cito mali quid'.
	D	'haud scio mali q.' i. ras.
II, 4, 4	(A	'ego illam vero omitto')
	ΠG	'ego illam facile vero om'.
	Don. i. l.:	'ego illam hercle vero om.'
	D	utramque lectionem socians:

'ego illam facile hercle vero om.'

(Praeterea recepta sunt ab editoribus, quae DG cum Donato praebent:

Ad. II, 2, 28 'Jamne enumerasti id quod' . . .
AΠ 'id' omiserunt.

Hec. IV, 1, 8 (G def.) 'Mihine mi vir'.
AΠ 'mi' om.

V, 1, 36 'haec' (D 'hęǁ'; G defic)
A 'KAP' Π 'hae'.

Sine dubio A et Π casu in eadem vitia inciderunt.)

Illis locis fortasse unus alterve addendus esset, si integro Donati commentario uti liceret: ut nunc res se habet, quam supra statuimus rationem, jure tenebimus. Ne tamen desit quidquam huic quaestioni, conferam infra locos, ubi Donati lemmata libris DG (vel alterutri) adstipulantur.

(Nonnunquam in rebus levioribus concentus facile exsistere potuit casu.)

Omissa verba sunt:

Eun. IV, 6, 18 'obsecro' in D^1 add. D^2
V, 1, 18 'tace tace', alterum 'tace' in EFG^1
Ad. I, 2, 22 'non est flagitium crede mihi adulescentulum scortari neque potare, non est, neque' . ., alterum 'non est' in GV.

Interpolationibus versus pessum dati sunt:

Eun. III, 3, 14 DG 'sperat se [posse] a me avellere'.
V, 8, 26 DG^1B 'siquid [tibi] collib'.
41 D(B)GE 'Vos non [id] facere'.
Pho. I, 1, 12 DG 'quanto labore [sit] partum'.
Hec. IV, 2, 18 DF 'jam [me] tenet'.
Ad. V, 3, 68 DGE 'et cui rei [opus] est'. —

In ordine verborum DG vel alteruter cum Donato a cett. mss. recedunt: Eun. III, 2, 37; 38 (hic DG rectam collocationem praebent: 'petere te cibum'. A: 'te petere cibum'. Π: 'te cibum petere'.) IV, 4, 53; V, 1, 20; 8, 1. — Pho. prol. 32; IV, 3, 74 (etiam Π recedit ab A); Hec. III, 3, 44; 5, 30; IV, 2, 17; 3, 14; 4, 63; V, 1, 30; Ad. IV, 2, 40.

Quo in genere et DG saepissime peccant et lemmata pessime se habent cfr.

Hec. III, 1, 1 A: 'nemini plura acerba'
PCBE 'nemini plura ego acerba'
DGF 'nemini ego plura acerba'

In Don. lemm. ad h. l. et lectio A et lectio DGF, in vers. 14 h. sc. lectio PCBE affertur.

Hec. III, 1, 20 APCBE: 'nisi porro ut fiam miser'
DGF 'porro nisi'

Don. i. l. et 'porro nisi' et 'nisi ut fiam porro'.

Hec. IV, 3, 13 APCBE 'haec est aetas'
DF (G def.) 'est haec'

Don. i. l. utrumque.

Ceteros locos ad seriem versuum enumerabo:

Eun. II, 2, 59 'miror qui', G 'quod' Arell. 'quid'.
III, 1, 4 'siet', D^1E 'fiat'. (Don. ed. pr. 'fiet'.)
5, 3 'possum', D 'possi|m'.
53 'specto', GFE 'aspecto'
IV, 4, 5 'paullum', DGE 'paululum'
6 'adornarat', DGE 'adornabat' (G corr.) (Don. i. l. utrumque.)
5, 9 'innuit', D 'annuit', 'a' ex corr.
6, 12 'referetur', G 'refertur'.
7, 4 'Donax'. Apud Donatum forma 'Dorax' legitur, quod E habet, et G IV, 7, 2 et 4 ex 'Donax' fecit. Donatum ipsum non 'Dorax', sed 'Donax' scripsisse vides ex ejus interpretatione: ab arundine, veluti sit inanis et fragilis, nomen sortitus est.
12 'ipse', G 'ipsus'
28 'tuam autem', DG 'tu autem'
39 'prohibebo', GE 'prohibeo'
V, 4, 4 'mittam', (B)DE 'omittam'
11 'cognorit', DE 'cognoverit'
39 'prehendi', DE(B) 'deprehendi'
8, 49 'noctes et dies', DGE(B) 'notesque et dies'

Pho. I, 3, 14 'depecisci', GE 'depacisci' (Sed G^2 et corr. recens E cum rell.)
II, 2, 5 'eccere', GE 'ecce rē'
8 'ages', G 'agis'

Pho. II, 2, 31 'praebet', DGEF 'praebeat'
3, 25 'absenti', D²GF 'absente'
66 'item', DG 'itidem'
4, 11 'est', DG 'esse' (corr. D in 'est')
V, 6, 10 'vapula', DE 'vapulabis'.
Hec.prol.II, 48 'aliis', D 'alias' (corr. D² c. rell.)
I, 2, 44 'senectuti suae', D 'senectutis suae'
IV, 2, 14 'haut', DF 'non'.
Ad. I, 1, 12 'praefregerit', G 'p̧ fregerit' (= perfr.)
2, 1 'ehem', DG 'hem'
III, 2, 6 'impium', D¹G 'impurum'
4, 4 'istuc', D 'istud' (corr. in istuc)
6 'nihili', D¹G 'nihil'
IV, 1, 2 'nunc cum maxume', DGF² 'nunc autem max.' (D² cū superscr.)
V, 2, 6 'manum', D²EF 'manus'
IV, 2, 47 'bene sane', DG 'recte sane'
49 'odiose', DG 'otiose'
III, 3, 48 'O qui egomet produxi', D 'quem' (i superscr.), G 'quē' (i superscr.), F 'que' (i superscr.)

Donatus 'quem egomet' in lemm. et in IV, 2, 21 affert, ubi verba non tam facile mutari potuerunt.

Eos locos, quos in uno conspectu posui, per quattuor fabulas reperi, quibus Umpfenbachii sententia comprobari possit. Quibus quamquam sine dubio totidem, quot in quaque illarum fabularum exstant, ex Andria et Heautontim. adnumerandi sunt, tamen ex iis, quae disserui, satis elucebit non recte Umpfenbachium de libris DG judicasse; nam quo jure hos tam constanter e Donati commento refictos esse dicit, ut recensionibus Bembini et „integrae" Calliopianae (Π) tertiae familiae instar addi possint, eodem jure libros Π ad commentum Donatianum retractatos esse contendere licet, quippe qui saepe cum Donato sociati (etiam in falsis scripturis) a consensu AΔ distent. Quam rem nos sic explicamus, ut non e Donato in libros illos, sed ex libris in Donatum lectiones illatas esse censeamus. (cfr. p. 22 sq.)

Ut pauca addamus de Prisciani libello de metris Terentianis composito et Servii commento Vergiliano a correctore

Δ adhibitis, etiam hac in re errasse Umpfenbachius videtur. Nam si hic quoque, ut par est, eos locos, ubi non modo illorum scriptorum, sed etiam aliorum librorum (ex classe Π) aut Donati auctoritas accedit, (praeterea Andriam totam et Heantont. cfr. p. 16) missos facimus, exiguus sane scripturarum numerus restat, in quibus DG (vel alteruter) cum illis sociati, a reliquorum consensu recedunt.

Quod Priscianum attinet, nihil prorsus demonstrat versus Pho. I, 4, 1, ubi D^{2}G cum Prisc. I p. 335 et 152 pro ‘reperis’ — ‘repereris’ exhibent, quia hic concentus facillime casu exsistere potuit. cfr. Eun. I, 2, 126 G ‘venerit’ pro ‘venit’; Eun. IV, 1, 14 DG ‘potuerit’ cum Nonio pro ‘poterit’, cfr. Pho. I, 3, 2, ubi Priscianus cum A: ‘existimescam’ pro ‘extimescam’ dat.

Majoris momenti est

Pho. I, 4, 51. ‘Nunc prior adito tu, ego in insidiis hic ero
Subcenturiatus, siquid deficias’. (Sic AΠ c. Don. i. l.)

DG c. Prisc. praestant ‘subsidiis’ pro ‘insidiis’. Quod quidem Bentlejus e Donati scholio: „Tota metaphora de re militari“ concludere voluit, eum quoque ‘subsidiis’ legisse, quia etiam extra rem militarem insidiae essent, paullo subtilius illum disputasse nemo non videt. Neque tamen quia solus Priscianus codicibus DG adstipulatur, affirmare ausim, ex eo illam vocem in Δ invasisse: nam potest a Prisciano et corr. Δ ex similibus codicibus sumpta esse aut in archetypum librorum, qui illius grammatici libellum continent, ex codice aliquo esse inducta: cujus rei luculentissimum exemplum habes Ad. IV, 1, 18: ‘Cum fervit maxume, tam placidum quasi ovem reddo’, G ‘$\overset{q\ \ si}{\text{quā}}$’, corr. G^2, D ‘quam ovem’, a † iovē schol., quae lectio ridicula sic in aliquo libro exorta est, ut errore i finale in ‘quasi’ duplicaretur. Quamvis autem inepta sit, tamen illata est in unum codicem Prisciani (cfr. Umpf. LX), nimirum ex codice simili ejus, unde schol D eam hausit.

Simili ratione explicandum esse puto consensum Prisciani et DG Ad. IV, 5, 72, ubi legitur ‘ego ibo’ pro ‘ego eo’. —

Minore jure quam Prisciani libellum Servii commentum Vergilianum adhibitum esse Umpfenbachius dixit: nam inter

eos locos, quibus Servium cum DG conspirare Umpfenb. ipse adnotat (p. LXV), nullus est, quin etiam alii codices aut Donatus adstipulentur.

Ceterum si corr. Δ Priscianum et Servium adhibuisse concedimus, etiam ex aliis scriptoribus eum nonnulla sumpsisse statuere possumus. Velut Eun. IV, 1, 14 Nonius Marcellus cum DG 'potuerit' pro 'poterit' exhibet. Hec. II, 1, 6. 'In eodemque omnes (scil. mulieres) mihi videntur ludo doctae ad malitiam', D cum Arrus. Mess. p. 223 'militiam' tradit, quae lectio per se haud inepta — quia Simo bene dicere potest, mulieres in ludo quasi doctas esse ad bellum contra viros gerendum — a versu abhorret. Quam facile et in Arrus. et in Δ illa scriptura oriri potuerit, videre licet ex Andr. IV, 3, 8, ubi $B^1 C^1$ librarii 'militia' pro 'malitia' scripserunt, corr. $B^2 C^2$. —

Postquam demonstrasse mihi videor, propriam codd. DG indolem e Donato, Prisciano, Servio explicari non posse, novo quasi disputationis initio facto ut rationem, quae inter duas Calliopianorum librorum classes intercedat, cognoscamus, primum de iis locis disseremus, quibus DG ab AΠ discrepant, tum de eis, ubi libri Π ab AΔ recedunt.

Simplicissimum esset statuere ubique codices Call. cum A consentientes scripturam Calliopii servasse (ut Leo l. d. p. 326). Quae ratio in codd. DG ab AΠ distantibus tenenda videtur exceptis paucis versibus, ubi illi soli vera tradunt, A et Π mendis depravati sunt.

Nam ne putemus, his locis DG post Calliopii operam correctos esse, obstat ipsarum mendarum natura, quae facile et in A et in Π oriri potuerint. cfr. Heaut. V, 2, 27 DGE 'periclum', AΠ 'periculum', Ad. IV, 5, 1 DG recte 'uti', rell. 'ut'. — Hec. IV, 4, 37 D recte 'arbitrer', rell. 'arbitror' (G defic.).

Hec. IV, 2, 8 DE 'praemium esse positum pietati scias', Π 'pietatis scias'; librarium A eadem scribere voluisse, inde apparet, quod in A 'pietas scias' traditum est. Ad. III, 4, 56: DGF^2E 'quam estis maxume potentes dites . . . . tam maxume . . . .', $APCBF^1$ pro priore 'maxume' habent 'maxumi', nimirum propter nominativos, qui sequuntur, nisi negligentia inter se litterae e et i mutatae sunt. cfr.

Hec. III, 5, 24; IV, 4, 90; V, 1, 35; Ad. V, 4, 21; Heaut. I, 1, 106. —

Hec. IV, 1, 47 AΠ falso: ‘te esse ausam facere haec injussu meo’. (Bentlejus ‘esse’ ejecit) Umpfb. cum D: ‘esse ausam facere haec te injussu meo’ (D^2 ‘te’ subpunxit et voci ‘esse’ superscripsit). AΠ videntur ordinem verborum magis usitatum constituere voluisse. —

Pho. IV, 3, 51 ‘Quae debeo et etiam’, AΠ ‘et’ omis.
Hec. II, 1, 9 G recte: ‘di bene ament’
F ‘di bene ament’
i bene
D ‘di ament’
Rell. ‘bene’ omittunt. cfr. Heaut. II, 4, 3;
Eun. V, 8, 7; Andr. V, 4, 44.
Pho. II, 1, 81, ubi APCBFED^2 cum Don. i. l. tradunt:
‘Nempe ad Pamphilam
At ego deos penates’ e. q. s.,
in DG recte ‘at’ omissum est, ut videtur, negligentia librarii. —

Cum his locis DG vera tradiderint, non idem affirmare possumus de permagna multitudine ceterorum locorum, quibus a consensu AΠ recedunt. Sunt quidem in his nonnulli, ubi quae DG praebent, nec a versu nec a sensu nec denique ab opera Calliopiana abhorrent. Velut Pho. I, 3, 9:

‘An. . . . . Fuisset tum illos mihi aegre aliquot dies
At non cottidiana cura haec angeret animum, Ph. Audio.
An. dum exspecto quam mox veniat qui adimat hanc mihi consuetudinem’.

DG pro ‘consuetudinem’ ‘aegritudinem’ praebent, quae vox propter vs. 7 (fuisset e. q. s.) supposita est ab aliquo, qui illam non recte intelligebat.

Eun. III, 4, 10 DG pro ‘sciscitari’ ‘auscultare’,
IV, 2, 11 ‘si illud non licet, saltem hoc licebit’, pro ‘licet’ ‘potest’,
II, 3, 23 pro ‘vincto pectore’ ‘vincto corpore’,
Ad. II, 1, 54 pro ‘has rationes’ ‘hanc rationem’,
IV, 4, 3 pro ‘certum siet’ ‘certus siem’ (D ‘certus siet’) tradunt, quibus discrepantiis haud paucae minoris momenti addendae sunt. Cum autem certa indicia non reperiantur, ex quibus Π ad librum alterius classis refictum

esse cogatur, nihil obstat, quin illis locis DG ex ingenio librarii aut ex alio fonte mutatos esse dicamus. —

Idem judicium de ingenti copia versuum valere, ubi librarii aut negligentia aut obscura diligentia poetae verba corruperunt, vix est quod addam. Peccant autem in omni genere: cuius rei exempla in quaque fere pagina editionis Umpfenbachianae inveniuntur. Ut unum genus breviter adumbremus, saepe interpolationibus versus depravati sunt, quarum pars multo maior sine dubio jam in Δ erat, ut

Eun. II, 2, 8 'quid [agis] homo'
III, 5, 22 'neque is deductus etiam dum ad eam [erat]'.
IV, 7, 40 'quaere qui [tibi] respondeat'.
V, 8, 59 '[Sed] postquam eis mores ostendi tuos'.
Heaut. II, 3, 78 'mitte [ista atque] ad rem redi'.
Ad. I, 2, 60 'nolo in illum gravius [quicquam] dicere'.
III, 3, 36 'Haecine fieri [flagitia]'. —

Nonnulla a D aut G librariis sunt addita, ut in D (quae ab altero librario lineola videntur subducta esse)

Eun. V, 6, 10 'primitus' (ad 'primum'), quae vox in B recepta est.
Heaut. I, 1, 94 'hic me exerceo laboro fatigo'.
II, 3, 129 'perspicax suspiciosus'
Hec. IV, 4, 46 'sed quid futurum quid faciemus'?
Pho. I, 2, 21 'abeuntes ambo hic tum senes me filiis ...'

alter librarius D scripserat, s negligenter duplicans: 'senes sine filiis', quae tum D² mendae originem non videus sic correxit 'hinc ^mo^ senes sine ^suis^ filiis'.

Ad. IV, 4, 5: 'pectore nil sistere consili quit'. in archet. Δ fuisse videtur scriptum 'quid' (pro 'quit'), quod in DGF¹ legitur. Hoc perperam intelligens D in fine addidit 'potest'.

Ne longus sim, quae DG soli dant, fere omnia talia sunt, ut a librariis proficisci potuerint nec certum corrigendi studium ostendant.

Videamus vero, num judicium, quod de DG ab AΠ distantibus fecimus, tenere possimus etiam de libris „integrioribus“ Calliopianis (Π) a consensu AΔ recedentibus, id est, utrum iis locis, ubi libri PBCF soli staut contra AΔ,

aberrasse illos a communi archetypo Γ dicamus, an vera Calliopiana servasse, Δ autem refictum esse ad codicem alterius generis. (α). —

Eandem viam ineuntes ac supra primum pauca praemittemus de mendis, quae codicibus A et Δ communes sunt: nam hic quoque dicat fortasse quispiam, eas a Calliopio neglectas in Π postea sublatas esse. At fere omnes tales sunt, ut facillime in utroque libro fortuito oriri potuerint. Levissima sunt:

Eun. IV, 7, 25 'illoc', AD 'illo'
V, 2, 44 'istoc', AD 'isto'
Heaut. I, 2, 36 'periclum', A(B)D 'periculum'
Hec. I, 2, 44 'praesidium', A 'praesidiam'
D 'praesidia'
V, 1, 41 'periclum', AFE 'periculum'
D 'periclu‖' (u supra), 'u‖' in ras.
4, 20 'sit', AD 'siet'.
Ad. V, 4, 23 'possiem', ADG 'possim'

Verborum ordo turbatus est (quo in genere DG saepissime peccant):

Heaut. III, 1, 6 'cum illi pericli nihil',
ADG 'cum illi nihil pericli'
85 'facere te volo',
ADG 'te facere volo',

quibus locis librarii collocationem verborum magis usitatam restituerunt.

Eun. IV, 6, 31: 'animo haec',
ADG: 'haec animo'.

Heaut. V, 1, 60 et AD^{1}G et Π verbis perperam collacatis versum pessumdant.

Omissae sunt voces a librariis, quia eorum oculi ab altera littera ad alteram parem in scribendo aberraverunt:

Heaut. V, 1, 47 'non tibi ego exempli satis',
AG 'ego' omis.
4, 10 'Si scire vis', A omis. 'si' cum D, add. D^2.
Pho. III, 1, 17 'quod ad hanc', AD^1 omis. 'ad', add. schol. D.
3, 7 'sed id unde', AD^{1}G^1 omis. 'id', add. D^{2}G^2.

Hec. I, 2, 16 'Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite',
AD 'abeundi' omis., add. D[1] in marg.
II, 1, 32 'in te omnis haeret culpa sola Sostrata',
AD[1]G 'sola' omis., add. D[2]
V, 4, 13 'Sinam sine munere a me abire',
AD omis. 'a me'.
Pho. III, 2, 46 'ut ut haec', AD alterum 'ut' omis.
Heaut. IV, 4, 12 'atque adservari', AG 'atque servari'
Pho. II, 2, 12 'non ita est: factum est pericl.',
D prius 'est' omis., corr. D[2]
A 'non ita est', 'est' ind. corr. rec.
F 'non ita est factū|| periclū||'

Addimus Eun. IV, 7, 27, ubi ADG falso 'illam' pro 'eam' praebent, et Heaut. V, 1, 79, ubi librarii AD[1]GF 'ridiculo' pro 'deridiculo' posuerunt.

Restant duo loci, quibus non tam facile concentus exsistere potuit. Pho. I, 4, 4 Umpf. recepit, quae Π tradit: 'nam non potest celari nostra diutius jam audacia'. — At scriptura ADG, qui 'jam' omittunt, leni verborum transpositione sanari postest: 'nam non potest dintius celari nostra audacia', quam conjecturam H. Sauppe praeceptor carissimus benigne mecum communicavit.

Eun. III, 3, 13. 'Ubi friget, huc evasit, quam pridem pater
Mihi et mater mortui essent; dico jam diu.
Rus Sunii ecquod habeam et quam longe a mari'.

ADG pro 'habeam' 'haberem' praebent versum pessumdantes. Ut videtur, conjunctivus imperfecti in A et DG positus est pro conjunctivi praesentis forma propter autecedentem conjunctivum 'mortui essent'. —

Tertium locum subjungere liceat Heaut. IV, 3, 15: 'frustra operam opinor sumo', ubi D[1]G post 'opinor' 'hanc' inserunt, quam vocem A non in contextu (ut Umpf. in apparatu adnotat), sed a manu altera supra versum additam exhibet teste A. Michaelis. (C. Sydow. l. d. p. 6 audacius conjecit: operam opino hanc sumo.)

Quibus praemissis transimus ad eos versus, ubi Δ cum A sociatus Terentii verba praestat, Π ab hoc consensu

recedit. Inter hos locos haud pauci inveniuntur, quibus scripturae Π et sensui et versui convenientes non tales sunt, ut ex librariorum ingeniis ortae videantur. Cum jam inde non inepte suspicari liceat, bonam partem earum a Calliopio esse profectam, tum nonnulli loci exstant, quibus dubitari vix potest, quin in Δ primae manus scripturae cum Π consenserint, eae autem, quas DG (vel alteruter) praestant, ex libro alterius generis (α) superscriptae fuerint. Heaut. III, 2, ubi Syrus servus et Chremes senex de cena, cui antecedenti vespere interfuerant, colloquuntur, A vs. 11 sq. haec exhibet: 'Sy. Mulier commoda et

Faceta haec meretrix. Ch. Sane. Sy. Idem visa est tibi?

Et quidem hercle forma luculenta'.

PCBFEG. 'Sy. Mulier commoda et

Faceta haec est meretrix. Ch. Sane idem visa est mihi.

Sy. Et quidem' . . . .,

quibuscum D conspirat, nisi quod in verborum contextu 'tibi' habet, cui voci (subpunctae) D[2] 'mihi' superscripsit. Apparet in Δ eadem fuisse atque in Π: nam et D et G in verbis inter personas distribuendis cum Π faciunt. Illud 'tibi' autem in Δ translatum librarius alter D assumpsit non cogitans, tum etiam personarum notas mutandas esse.

Heaut. V, 1, 59. A 'Quod incommoditates in hac re accipies nisi caves' (quae recte ab Umpf. recepta sunt, praepositione 'in' omissa)

ΠG 'Quod incommoda tibi in hac re capies nisi caves', quam scripturam confidenter ipsi Calliopio tribuimus. In Δ ex manuscripto alterius generis adscripta fuisse videtur vox 'incommoditates', quam librarius D in recipiendo ipse spernens scripsit: 'incommodit̄' (nisi mavis simplicem scribendi errorem statuere.)

Addo nonnullos locos, de quibus idem judicium facio collatis aliis, ubi omnes libri Calliopiani contra A stant. Pho. IV, 1, 23 edd. cum Prisc. dant:

'Neque defetiscar usque adeo experirier'.

A 'Neque adeo defitiscar umquam experirier'

Π 'Neque defetiscar umquam ego experirier'

G 'Neque defeciscar umquā adeo experirier'

D 'Neque defeciscar unq; experirier' [ego written above 'experirier'], ('feciscar' in ras.)

Dicat fortasse quispiam, G archetypi vestigia prementem Colliopianam lectionem servasse (neglecta collocatione verborum), in Π autem a librario aliquo 'adeo' in 'ego' mutatum atque hoc ex ejus classis codice in D translatum esse. (cfr. Umpf. praef. p. XX.) Cui ne assentiar, obstant duo versus, in quibus cum inter libros Calliopianos de scriptura conveniat, suspiceris, 'adeo' a Calliopio ipso expulsum esse.

Pho. V, 8, 13. A 'idque adeo venio [ad vos] nuntiatum
Demipho'.

Verba 'ad vos' aperte jam in commune archetypum A et libri, quem Call. corr., irrepserant, cum libri Calliopiani praebeant:

'idque ad vos venio nuntiatum'.

Eun. III, 4, 7 A 'idque adeo visam si domist'.
Γ 'ibo ad eum visam si domist'.

Heaut. I, 1, 121 AD(B) 'Ibo adeo hinc intro. Sed quid crepuerunt fores?' (Sine dubio errori librarii tribuenda est scriptura cod A: ADEONIKILINTRO, quam corr. rec. corr.)

PCFE 'adeo' omiserunt, quod negligentia non factum esse videtur (oculis ab 'ib*o*' ad 'ade*o*' aberrantibus); nam Calliopius hunc versum non ut antecedentes (cum A) jambice, sed trochaice legit una cum sequenti, qui in A deest:

'I'bo hinc intro: Séd quid crepuerúnt fores hinc á me?
Quis nam egreditur?' (Clausula.)

Sic enim versus in PF distincti sunt. Propterea ego censeo, etiam hoc loco 'adeo', quod D(B) exhibent (G deficit), in Δ adscriptum fuisse. —

Pho. V, 3, 23 A 'Ch.: Neque intelleges? De Si tu nil narras? Ch. Perdis. Na. Miror quid siet'.
Π . . . 'Ch. Pergin?' . . .
D (G def.) 'Chr. perdis' [g written above 'd'].

Ab ipso Calliopio mutatum esse persuadet unus locus, ubi perdendi verbum in simili sententiarum nexu usurpatum est,

Heaut. III. 3, 21: A 'Sy. Recte sane. Cl. Syre, pudet me.
Sy. Credo: neque id injuria: quin
Mihi molestumst. Cl. Per || is hercle'...

Post R fenestra est, quae D litterae formam habet. (Umpf.) In A scriptum fuisse PERDIS intelligitur ex nota scholiastae 'occidis'. Libri Calliopiani hoc loco omnes, ut Π Pho. V, 3, 23, exhibent: 'Pergin hercle?'

Ad. V, 3, 5 Micio Demeam de flagitiis Aeschini clamantem audiens loquitur haec.

A: . . . . Em tibi:
Rescivit omnem rem: id nunc clamat: ilicet:
Paratae lites: succurrendumst'.
ΠG 'id nunc clamat: scilicet paratae lites' . . . .
D 'id nunc clamat || licet' . . . .,

sic ut 'ilicet' scriptum fuisse appareat, quod (alter) librarius in 'scilicet' mutare voluit. cfr. locum similem

Eun. II, 3, 56 A 'Ipsast: ilicet: desine: jam conclamatumst'.
Γ . . . . scilicet.

Id quidem me non fugit Calliopium Eun. I, 1, 9 archetypi verba 'actumst: ilicet: peristi' non mutasse; at multum abest, ut hic locus argumentationem nostram infringat, ut eam confirmet; nam hic ille grammaticus non habebat, cur vocem 'ilicet' inter 'actumst' et 'peristi' satis perspicuam mutaret.

Eun. IV, 7, 33 A: 'Diminuam ego tibi caput hodie'.
D 'caput tibi hodie'
ΠG 'caput tuum hodie'

Haec Calliopium dedisse verisimile est propter locos:

Pho. III, 1, 4 A 'quae nunc tibi domist'.
Γ 'quae nunc tuae domist'
6 A 'Cui nunc miserae spes opesque in te uno sunt sitae'.
Γ 'Cujus nunc miserae' . . . .

Similis mutatio jam in omnium nostrorum librorum archetypo facta erat, si Bentl. Pho. V, 9, 59 recte conjecit:

'Tu tibi nomen dic quid est'.

Libri: 'Tu tuum nomen dic quid est'. (PCBD 'quod') (G defic.).

Quod usque adhuc comprobare studuimus certis indiciis, DG refictos esse ex codice alterius generis, idem jure statuere nobis videmur in magna parte eorum locorum, quibus mutationes factae metro satisfaciunt. Nam quamquam vix opus est memoratu, etiam a librariis inter multas scripturas, quae versus destruant, nonnullas illatas esse metro convenientes,

tamen hoc magis casui cuidam quam illorum peritiae tribuendum est. In universum tales mutationes Calliopio dandae videntur, ita ut haud sine causa suspicemur, DG iis locis cum A consentientes ab archetypo Γ recessise*).

Nonnunquam hoc ex ipsis verbis apparet:

Ad. II, 1, 54 A: 'Sed nemo dabit, frustra egomet mecum has rationes puto'.

Calliopius, ne lectores in sensu vocis 'putare' offenderent, 'deputo' scripsit et ad versum sustentandum 'met' omisit: 'Sed nemo dabit: frustra ego mecum has rationes deputo'. (Π). In Δ lectio A superscripta fuisse videtur, unde librarius G utramque lectionem socians dedit: 'frustra egomet mecum .... deputo'.

Pho. III, 3, 2 A 'Cui minus nihilost, quod hic si pote fuisset exorarier'.
PCFE ... 'hic si potuisset nunc exorarier' (B 'nunc' omis. err.);

quam scripturam confidenter Calliopio assignamus, qui ut perfecti formam 'pote fuisset' tolleret, 'potuisset' dedit et versus gratia 'nunc' inseruit. DG cum A consentiunt, nisi quod D^2 lectionem Π invexit.

Eun. IV, 4, 17: A 'nunc tibi videtur foedus' ....
Π 'nunc eo videtur foedus'.
DF 'nunc eo tibi videtur foedus'.

Id igitur Umpfenbachio concedimus, DG retractatos esse, neque tamen e Donati commento, sed ex manuscripto alterius classis; nam saepe Donatus libris Calliopianis „integrioribus" adstipulatur aut tacet, ubi hos archetypi Γ scripturas tenuisse, DG deflexisse apparet. Omninoque id jure tenere nobis videmur, quod supra statuimus, ubicumque DG contra rell. Call. cum A consentiant, ibi nihil esse, cur ad Donati commentum mutatos eos esse dicamus.

Addere nunc demum licet, quod jam supra poterat commemorari, etiam ex eis locis, quibus DG cum Donato aut aliis scriptoribus (Prisciano, Servio) contra rell. mss. conspi-

*) Non recte judicavit Leo p. 347, libros Π novam recensionem editionis Calliopianae exhibere. Nam dubitari non potest, quin is, quem Leo tot versus sine metri detrimento mutavisse putat, multos illos versus corruptos in Γ correcturus fuerit.)

rent, aut ubi soli stent, nonnullos ad α refictos esse posse: neque enim quisquam putabit, illud exemplar (α) cum A, qui solus ex ea classe ad nostra tempora duravit, ubique consensisse. Qua re ubi DG (vel alteruter) lectiones a ceteris codicibus discrepantes exhibent, quae e librariorum ingeniis haud videntur exortae esse, nihil obstat, ne eas ex illo codice α sumptas esse existimemus. —

Postquam igitur vidimus, familiam Π saepe archetypum sequentem scripturas Calliopianas servasse, ubi DG deflexerint, quaeramus, num etiam contrarium factum sit, hoc est, num etiam DG hic illic Calliopiana tradant, ubi PCBF postea mutati sint. Jam supra dixi, quod videam, hanc classem non esse retractatam, quamquam aliquando ex manuscripto alterius generis interpolationes irrepsisse videantur. cfr.

Hec. I, 2, 43 A 'Sese senem esse dicere, illum autem unicum' . .
D 'illum esse unicum'
Π 'illum autem esse unicum'

(nisi in D '*autem*' post '*illum*' intercidisse mavis; G defic.)

Ad. II, 2, 27 A 'quam aut nunc manere' . .
DG 'quam hic nunc manere'
Π 'quam aut hic nunc manere'.

Ad. IV, 4, 25 DG vera servarunt: 'ubi pultare hasce occipio miser'.

In A vox 'miser' glossemate 'fores' e textu pulsa est; in PCEF legitur 'fores miser', sed 'fores' fortasse non ex alio manuscripto sed ex scholio in textum irrepsit. B cum A consentit, sine dubio quia librarius in fine versus 'miser' omisit. —

Recfecti igitur ad alterius classis librum codices ex Π oriundi non sunt; quod autem Umpfenb. fere integram in eis servatam esse recensionem Calliopianam censet, assentiri ei non possumus. Cur enim archetypum, ex quo PBCEF fluxerunt, minus arbitremur depravatum fuisse a librariis, quam archetypum librorum DG? nam hoc non opus est repetere, omnes codd. Call. ex exemplari multifariam corrupto derivatos esse. Inter ea, quae in Π novata sunt, nonnulla in sententiam et versum quadrare et per se verisimile

est et inde efficitur, quod hic illic unus ex eis mss. cum DG consentit, ubi ceteri discedunt, ita ut per se versus ferri possint, nec tamen quidquam obstat, ne illum unum veram Calliopii scripturam tenuisse putemus. cfr.

Eun. V, 8, 57 AD(B)G: 'Hunc comedendum vobis propino et deridendum'.
C: 'ꝑ pinẹ[a]bo' PFE 'praebebo'.

Vides, C vestigium servasse verae lectionis, quam cur Calliopius mutaverit cum magno sententiae detrimento, intelligi non potest. Ut videtur, in eo libro, ex quo PC descripti sunt, illud 'praebebo' additum erat, unde in P receptum est. — Idem judicamus de Ad. III, 3, 73, ubi Syrus coquis praecepta dans dicit: 'Moneo, quae possum pro mea sapientia' (sic ADGP. — Don: διασυρτικῶς 'sapientia' dicit, quia condimentum gustu ac sapore temperant coqui.) CBEF pro 'sapientia' dant 'sententia'; inde quod P 'sapientia' praestat, C autem litteras a et s (me*a* *s*ententia) in rasura habet, jure concludimus, in archetypo PC exaratum fuisse 'sapientia'.


Praeterea autem mendis omnis generis depravata haec classis est, sic ut me judice non fere integram recensionis Call. formam praebeat, sed magno intervallo ab ea distet. Nam non errare mihi videor statuens, iis locis, quibus DG Terentiana servarunt (cum A), PCBF corrupti sunt, DG Calliopianas scripturas servasse. Dubitari hoc non potest, ubi in Π aperta negligentia librariorum vitia irrepserunt, velut ubi verba interciderunt:

Hec. III, 1, 13 AG 'quisquam usquam'
PCBFE 'usquam' om., add. F^2 in marg.
D 'usquam' subpunxit, quia in Π non inerat.
IV, 4, 104 AFD 'Immo vero abi' (D ṿẹṛọ; G defic.)
PCBE 'vero' omis.
Ad. V, 3, 3 ADG 'quid faciam? quid agam?'
PCBFE 'quid agam' omis.
54 ADG 'rus cras cum filio'.
PCBFE 'cras' om.

Quod autem ex his exemplis, quae facile augeri possunt, apparet, mss. PCBFE ad archetypum redire, quod ipsum (aut

cujus archetyp.) corruptum erat mendis, quibus DG carent, id quisque, spero, concedet etiam de iis vitiis, quae non negligentia sed nimia diligentia scribarum orta sunt. Nam Calliopio ipsi nemo ea imputabit; quod autem dicat aliquis, ea in archetypo Γ exstitisse et in Δ correcta esse, id nec per se verisimile est et propterea refellendum, quod miro casu hae mendae correctae essent a correctore DG, qui tot alias incorrectas reliquit nec metrum in corrigendo respexit. Jure igitur eas mendas — inter quas multae interpolationes sunt — quibus DG carent, in archetypo librorum PCBF (vel in ejus archetypo) ortas esse statuimus. —

Ut breviter comprehendamus, quae demonstrasse nobis videmur, stemmate uti liceat:



Littera X notamus archetypum nostrorum librorum omnicum; ex eo derivati sunt A (Bembinus), α, A¹, quem Calliopius correxit. Ex exemplari Calliopiano Γ, quod jam omnis generis mendis refertum erat (v. p. 12) duo exemplaria descripta sunt, Δ et Π, quorum utrumque denuo vitiis depravatum est. (v. p. 28 sq.; 36 sqq.) Δ correctus est non e Donati commentario (v. p. 13—27), sed e libro α (Bembini gemello); quae inde in Δ illata sunt, partim in DG migrarunt. Ad Π redeunt libri PC(B) F. (v. p. 12 sq.) Quae cum ita sint, ad integram Calliopianae recensionis formam recuperandam magni momenti sunt libri DG, eo maioris, quia D antiquissimum eius recensionis exemplar est.

Vita.

Natus sum Fridericus Guilelmus Prinzhorn a. d. IX Cal. Mart. a. 1859 in oppidulo Burgdorf parentibus Guilelmo, ludi magistro, et Guilelmina e gente Ripke oriunda, quos adhuc vivere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus anno aetatis duodecimo Gymnasium Cellense adii, quod per sex annos et dimidium frequentavi. Maturitatis examine superato vere a. 1877 inter cives academicos Gottingenses receptus sum. Duos annos in ea alma litterarum sede versatus, ut militiae munere jam fungerer, Tubingam me contuli. Stipendii anno peracto Gottingam redii ibique tres annos commoratus sum. Audivi autem disserentes Tubingae Rohde, de Schwabe, Flach; Gottingae Sauppe, de Leutsch, Dilthey, Volquardsen, W. Müller, Baumann, Lotze, Wieseler, Benfey, Goedeke, Fick, quibus omnibus multum debeo. Ut exercitationibus proseminarii et seminarii philologici Gottingensis interessem sodalis per unum semestre extraordinarius, per tria ordinarius, permiserunt mihi de Leutsch, Sauppe, Dilthey; deinde Sauppii benevolentia regio seminario paedagogico adscriptus sum; nec non societatis germanicae Müllero duce florentis exercitationibus per aliquot semestria interfui.